



*Ex Libris*  
*D. Guil. Gesenül.*

*A. 262.*





1. Norberg, De orthographia linguae Hebraeae
2. ———, Etymologia linguae Hebraeae. De nomine dissertatio
3. ———, " " " De particulis
4. ———, " " " De pronomine dissertatio.
5. ———, " " " De verbo dissertatio.
6. ———, De etymologia linguae Graecae dissertatio. P. III.
7. 8. ———, Oriens lucem protendens Homero.
9. ———, De etymologia linguae Graecae dissertatio. P. II.
10. ———, " " " " " P. I.
11. Michaelis, De Hebraea et adfinibus orientis linguis a Graeca derivandis.
12. ———, Discrimen linguarum orientalium et occidentalium.
13. Uri, Prima decas originum Hebraearum genuinarum.
14. Netib leshon Ivrit. „Deutsch-hebräischer [ne] Lexikon“
15. Trendelenburg, De eo quod nimium est circa studium, linguam Hebraicam ex Arabica illustrandi.
16. Kierold, De decem nominibus quibus apud Hebraeos designatur Deus. Meditatio I.
17. Wichmannshausen, De  $\text{ד'י}$  sive Galilaea.
18. Spiffer, De lingua Galilaea.
19. Wichmannshausen, De differentiis vocum Hebraicarum.
20. Michaelis, Philologemata medica ... ex Hebraea et huius adfinibus orientalibus linguis decerpta.
21. Hartmann, Supplementa ad Buxtorffii Lex. Chald. Talmud. et Rabbin.
22. ———, Supplementa ad Gesenii Lexic. Hebr. e Mischna petita.



23. Tychsen, ad praelectiones de litteratura Hebraeorum habendas ... invitat.
  24. Bruns, De eo quod praestandum restat in litteris orientabilibus.
  25. Epistolam Samaritanam Schemitarum tertiam ... ad. Bruns.
  26. Zeltner, Enneas quaestionum philologicarum.
  27. Sperbach, (Autor respondens Jahn), De voce 7177.
  - 27<sup>o</sup> Jahn, De voce 7177 iterum publice disseret.
  28. Prisca narratio Graece Latine et Talmudice superstes.
  29. Lichtenstein, Ueber die Verwandtschaft der Arabischen mit dem Deutschen.
-



16. n.

D. JOHAN. WILHELMI ZIEROLDI  
MEDITATIO  
DE  
DECEM NOMINIBUS,  
QUIBUS APUD HEBRÆOS  
DESIGNATUR  
DEUS.

MEDITATIO I.




---

STARGARDIÆ,  
Literis Typographi Regii. 1721.

23









IN NOMINE JESU! AMEN.

S. Marcellæ, nec honores, nec voluptates, nec opes, sed DEum sitiendi, B. Hieronymus Epist. 136. T. 3. Oper. interpretatione nominum divinatorum, sitim non tam sedasse, quam accendisse videtur: Operæ igitur pretium duximus, nomina ista, quibus apud Ebræos DEus designatur, accuratius paulo interpretari, ut animæ rerum divinarum sitientes, DEum, quem sitiunt, exinde gustent. Faxit DEus feliciter!

I.

**S**ummum DEI nomen est עליון אֵל EL ELION, DEUS *summus*. Genes. 14, 19. *Benedictus Abraham DEO altissimo*, ib. v. 20. *Benedictus DEUS altissimus*. Psalm. 91, 1. 15. *Qui sedet in latibulo Altissimi; cum eo erit in angustia, eripiet eum & honorem dabit ei.* Omne donum perfectum ἀποθνήσκει *superne* est. descendens à patre luminum, Jac. 1, 17. ab EL EL jon, DEO gloriæ, Psalm. 85, 10. lucis æternæ, Sap. 7, 26. ex cujus miserationum visceribus, (i. e. misericordia summa) visitavit nos ortus ex alto. Luc. 1, 78. Misericordia, sine rigore judicii. Psalm. 78, 38. Gratia gratis data. Rom. 3, 24. Benedictio perfecta, sine adversario & accusatore. Rom. 8, 33, 34. Misericordia gratuita, qua justificatur, & à iudicio iræ liberatur impius, misericordia indignus. Psalm. 69, 14. Rom. 4, 5. Qua mera & gratuita plane misericordia Israël ex Egypto ductus. Ex. 33, 1. cap. 34, 6. Psalm. 118, 27.

A 2

II. Ex-



II. Excelsum DEI nomen est יה JAH, cujus genuina  
 emphasis significat Filium DEI, Servatorem, Salvatorem,  
 Liberatorem, *El. 12, 2. Robur meum & canticum est Jah.*  
 Quem in locum Doctissimus Vitringa p. 370. b. *Filii DEI*  
*laudes hic cantantur, ad quem voce יהוה Jeshua, hic ter*  
*repetita, manifestè alluditur. Utique ejus esse hoc nomen in em-*  
*phasi discimus ex Psalm. 68, 5. equate vias ei, qui incedit in cam-*  
*pestribus (egreditur ad sibi subjiendum mundum) ביה שעי*  
*nomine suo JAH. Omne nomen Patris, omne decus, omnis glo-*  
*ria, omnis harmonia perfectiorum & virtutum ejus, & earum*  
*maximè, quæ ipsi oppositæ videbuntur, Justitiæ & gratiæ, in*  
*quo ipsi est τὸ ἀπύναστα τῆς δόξης τὰ πατρὸς, conspicienda*  
*exhibentur; & est ille objectum laudis & cantici Ecclesiæ. Quod*  
*autem Propheta liberatis hisce tribuat verba, desumpta ex Can-*  
*tico Moysi & Mariæ, Ex. 15, 3. id ipsum quoque mysticum est, &*  
*nobis rursus in memoriam revocat, DEUM in ἀπολυτρώσει, spiri-*  
*tuali eadem exerturum esse virtutes, Gratiæ, Justitiæ, Potentiæ,*  
*decentiæ, veracitatis, quas olim in Liberatione Ægyptiaca, &*  
*quidem ἀντιτυπιῶς, modo longè illustriore & gloriosiore. Huc-*  
*usque Theologus Franckeranus. Est igitur Jah, rupes*  
*seculorum, El. 26, 4. filius DEI, petra Spiritualis, 1. Cor.*  
*10, 4. Matth. 16, 18. qui nobis est Saluti, in quo, excussio*  
*metu iræ & judicii, confidimus, unde dilatatio ex angu-*  
*stia, & misericordia, quæ iniquitates non observat. Psalm.*  
*118, 5. 6. 7. 14. Psalm. 130, 3.*

III. Collaudatum DEI nomen est יהוה quando JEHO-  
 VAH scribitur, & legitur ELOHIM, cujus puncta habet.  
 Quo ipso nomine, & misericordia per nomen Jehovah, &  
 Judicium, per nomen Elohim indicatur. B. Gerhardus L.  
 de DEI natura, cap. 1. § 8. p. 508. Drusus in Comment.  
 Deut. 23. notat, *nomen Jehovah denotare miserationum pro-*  
*prietatem, (DEUM gratiosum) legi autem per vocem Elohim,*  
*proprièatem judicii significantem, ut innuat DEUM in Judicio*  
*mi-*



*miseriordem esse.* Nam *Jehovah* ille est *Elohim*, in *cælo* desuper, & super *terram* infra, nullus alius est. Deutr. 4, 39. Id circo in *Elohim* laudaborem & in *Jehovah* laudaborem. Ps. 56, 11. i. e. de bono & malo laudabo DEum, ob iudicium & misericordiam. Si mala mihi contingant, benedicam DEO vero & iusto iudici: Si bona, laudabo DEum, qui bonus est, & benefacit. Pohl. ex Hum. in h. l.

IV. Magnum DEI nomen est **אל** EL, magnam DEI gratiam & misericordiam exprimens, qua *penam* non statim infligit *pœna* dignis, sed eam *prolongat*. Es. 48, 9. Sicut EL Eljon summam gratiam & misericordiam, gratia indignis exhibet, & omnia præterit peccata: ita EL misericors secundum magnam gratiam, *pœnam* differt; multa, non omnia præterit peccata. Job. 33, 29. Amos 1, 3. seq. Ex. 34, 6. 7. *Magnus est EL super omnem Elohim*. Ps. 95, 3. majorem exhibens gratiam. Contra Abarbenelem laudatus Campejus Vitringa, p. 249. Comment. in Esaiam, nomen EL idem esse quod Elohim, rectè negat, propterea quod nominis EL nullus est respectus ad iudicium, sicut vocis Elohim.

V. Tremendum DEI nomen **אלהים** ELOHIM, rigorem & iudicium tam funestum, quam lætum exprimit, quo DEus vir belli, heros, robustus, iudex, retribuens cuius secundum opera, visitans iniquitates, respiciens peccata, & ignis consumens dicitur, Deutr. 4, 24. cap. 10. 17. *est iudicium Elohim, iudicium rigorosum*, Psalm. 76, 10. ib. 75. 8. Eccles. 12, 14. Hæc DEI *sinistra*, Cantic. 2, 6. unde *timor*. Gen. 31, 42. Et magistratus, ob legis rigorem, & Jus strictum, Elohim dicitur. Ex. 22, 28. Deutr. 10, 17. ib. c. 1, 17.

VI. Gloriosissimum DEI nomen est **יהוה** JEHOVAH, perfectionem DEI notans, Deutr. 32, 4. *Cujus opus perfectum*, i. e. geminum, videtis XXIII. *Vorstellung*, p. 1846. quod è iudicio & misericordia constat, ubi gloriatur misericordia adversus iudicium, Jac. 2, 13. adeoque gratia prædominatur



tur. Vidi Jehovaham sedentem super throno suo, & universum exercitum cœlorum stantem juxta eum, à dextra ejus, & à sinistra ejus. 1. Regum 22, 19. Hæc gloria DEI in Israele conspicua redditur. Es. 49, 3. Deutr. 28, 10. Judicia Jehovahæ veritas, justa sunt simul. Psalm. 19, 10. Johan. 1, 17. Nomen perfectissimum *Jehovah Elohim*, misericordiæ & Judicii perfectionem notans, in perfecta & absoluta cœli & terræ creatione est adhibitum. Gen. 2, 1. Quia *Jehova unus, & nomen ejus unum*. Zach. 14, 9. omnia benedictione recreat atque reficit, omniaque sustinet in cœlo atque in terra, ideoque reverenter habendum, nec idolis aut vanitatibus imponendum. Ex. 20, 7. Judicium misericordiæ admixtum, adeoque & *bonum & malum*, æquo animo à DEO suscipiendum, Job. 2, 9. & in ipsis quoque castigationibus gaudendum. Ps. 101, 1. Rom. 5, 3. Jac. 1, 3. Phil. 1, 29. *Impœnitentibus* est Jehovah Elohim *ignis consumens*. Deutr. 4, 24. *Pœnitentia vero umbilicum* (ex Judicio) mixtum, Cant. 7, 3. *Sanat*, Prov. 3, 8. Es. 6, 10. i. e. Judicium mitigat. *Omnes gentes* (impœnitentes) *ambulant in nomine Elohim*, (sub ira & judicio legis rigoroso,) *nos vero* (pœnitentes & in Christum Jesum credentes,) *ambulamus in nomine Jehovah Elohim nostro*. Mich. 4, 5. Magnus Jehovah est *super omnes Elohim*. Ps. 96, 4. Omnes Elohim populorum, sunt Elilim, v. 5. i. e. mortui cadaveris Medici, fures & latrones, quia lex occidit, gratia autem Jesu Christi vivificat, Joh. 10, 8. Evangelizate salutem Jehovahæ. Ps. 96, 2. ex quo lætitia cœli, gaudium terræ, & exultatio agrorum. ib. v. 11. 12. Addito, nomini Jehovah, nomine EL, omne Judicium Elohim, i. e. omnis rigor legis, omnis adversarii accusatio, omnis condemnatio & maledictio, exclusa intelligitur. *EL Jehovah est, qui illuxit nobis*, Ps. 118, 27. qui luce salutis & lætitiæ super nos fulsit. *DEus pro nobis. Quis accusabit? DEus justificat. Quis condemnat? Qui in Dextra DEI, intercedit pro nobis*. Rom. 8, 31. 33-34. *Jehovah Jehovah, EL misericori-*



*sericors & gratiofus.* Ex. 34, 6. Deutr. 4, 31. Gen. 21, 33. La-  
tatur Jehovah iis quæ fecit Pf. 104, 31.

VII. יהוה צבאות JEHOVAH ZEBAOOTH, quando nomini  
Jehovah vox exercituum jungitur, nomen benevolentia divinæ,  
adeoque benignum DEI nomen exprimitur, erga omnes  
creaturas, quæ rigorem legis & pœnæ portare nequeunt.  
Exaltatur Jehovah Exercituum in equitate Ef. 5, 16. quando in  
executione tam in bonum, quam in malum, gratia præ-  
valet iræ, pœna minuitur, non ex legis rigore, sed ex æquo  
& bono agitur, adeoque pœna misericordia temperatur,  
tam in oppressione opprimentium, quam in vindictis op-  
pressorum. Quo ipso sanctum DEI nomen sanctificatur. Pf. 99, 4.  
Apoc. 16, 7. Ef. 8, 13. cap. 29, 23. Lev. 10, 2. 3. 4. Ezech. 20, 24.  
cap. 22, 26. De visione Jehovah Zebaoth, conf. Num. 12, 6.  
Ex. 38, 8. Pf. 46, 12. Hof. 12, 11. Ef. 9, 7. Quando nomini di-  
vino Jehovah, additur nomen Elobim, Judicium æquitas ad victo-  
riam, salutem & gloriam reportandam, indicatur. Pf. 80, 9.  
ib. 80, 8. Jerem. 7, 3.

VIII. אלהים צבאות ELOHIM ZEBAOOTH est nomen  
rigoris divini & pœnæ, qua Judex severus pœna dignos ex  
omnibus creaturis punit, ut pœnitentiam agant, conver-  
tantur, illuminentur, & salventur. Pf. 8, 8. ib. 60, 12. In con-  
spectu surgentis Elobim, fugiunt inimici, & evanescent, ut fumus.  
Pf. 68, 1. 2. Ef. 59, 17. Quando nomina El, Elobim & Jehovah  
junguntur, hæc trium divinorum nominum congeries,  
præsertim Jos. 22, 22. repetita, maximum habet pondus, quo  
Judicium sive in bonum, sive in malum, sive in vitam, sive in mor-  
tem, secundum gratiam, miseratione dignis, & pœnam ri-  
goris, pœna dignis referendam, clarissime indicatur.

IX. אלהי DEUS vivus, est nomen DEI universale, quod  
omne id (כל) continet, quod DEUS facit, Ef. 44, 24. ex quo  
vitæ fonte, vita omnium. Deutr. 4, 4. Vos qui adheretis Jeho-  
vab Elobim vestro, vivâ estis omnes hodie. EL Eljon vitam dif-  
fun-



fundens in inferiora, DEUS vivus est, qui in nobis habitat, Jos. 3, 10. omnibus rebus creatis alimenta ministrat, omnia multiplicat & crescere facit, unde omnis benedictio, utpote ab *El Schaddai* DEO sufficiente s. omnipotente. Gen. 49, 25. *Sitivit anima mea ad DEum vivum.* Ps. 42, 3. unde omne donum bonum & perfectum. Jac. 1, 17.

X. אֲדֹנָי *ADONAI*, est nomen ultimum, DEI *primi & novissimi, extra quem nullus DEus.* Ef. 44, 6. DEUS enim non mutatur, etsi pro diversitate Judiciorum exercendorum diversitas divinorum nominum detur. Nah. 1, 2. Ex. 15, 2. 3. Mich. 1, 3. Adonai est benedictionis divinæ basis, porta, & Gazophylacium, ex quo sibi aliquid dari, Abraham petit. Genes. 15, 2. EL nobis est EL ad salutem, & Jehovah Adonai ad mortis exitus, Ps. 68, 22. qui liberat ex morte. *Ad Te Jehovah Adonai oculi mei.* Ps. 141, 8. Adonai Jehovi omnia facit in cælo & in terra. Deutr. 3, 24. Qui hæreditatem suam redemit, per magnificentiam suam. c. 9, 26. Jehovah Elohim noster, est Adon Dominus noster, ad quem oculi nostri unice directi. Ps. 123, 2. 3. *Qui unus est, nomenque ejus unum,* quando benedictione ejus omnia recreantur & reficiuntur. Zach. 14, 19. Quale enim DEI opus, tale ejus nomen, operis caracteristicum, unde gloria DEI, quæ est complexus attributorum divinorum, manifestissime elucescit, & sanctum DEI nomen sanctificatur æternum.

*Largiatur nobis DEUS, cujus nomen super omnia nomina, ut quoties divina nomina, vel in scriptura legimus, vel in precibus nostris invocamus, non modo cognoscamus & intelligamus, quid legendo vel orando pronunciemus, sed ut gratiam quoque invocemus in oculis DEI atque hominum, ad DEI gloriam & nostram salutem, propter Christum, Dominum nostrum,*

AMEN.



Be 820. ✓

80

ULB Halle

3

003 246 310




1017

2. C.











16. n.

D. JOHAN. WILHELMI ZIEROLDI  
MEDITATIO  
DE  
DECEM NOMINIBUS,  
QUIBUS APUD HEBRÆOS  
DESIGNATUR  
DEUS.

MEDITATIO I.



---

STARGARDIÆ,  
Literis Typographi Regii. 1721.

20

21

